



Disputatio juridica inauguralis de publiciana in rem actione

<https://hdl.handle.net/1874/345226>

24.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
PUBLICIANA IN REM ACTIONE.
QVAM
AUSPICE DEO OPT. MAX.
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
M. JOHANNIS LEUSDEN,
Philosophiæ Doctoris, & Linguæ Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajeœtinâ Professoris Ordinarii,
NEC NON
Amplissimi Senatus Academicci consensu, & Nobilissime
Facultatis JURIDICÆ Decretò,
PRO GRADU DOCTORATUS
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,
Eruditorum Examini subiecti
CASPAR CLOTTERBOOKE, BRIELANUS
Ad diem 16. AUGUST. hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clo Ioc xciii.

DISPUTATIO IURIDICA
IN UNGARIÆ
PATRIÆ
M. JOHANNIS LUSDENI
ET
AMICIS
OMNIBUS



Hanc sacram facio
C. CLOTTERBOOKE.

PRO O E M I U M.

Cum ad sustentandam societatem humanam necesse sit, ut jus suum quisque consequatur, necesse est ut legitima remedia competant, quibus illud quisque consequi possit, quae remedia actionum nomine veniunt, atque id ipsum observarunt Legislatores Romani, juris observatores Religiosissimi. Unde eum in finem in eorum legibus multæ actiones constitutæ, ubi autem deficit videbantur, Prætor tanquam viva vox juris civilis. l. 1. ff. de just. & jur. equi bonique custos, ex sua quoque jurisdictione introduxit utilissimas actiones. Exemplum inter cæteras est materia vindicationis, ad cuius similitudem publiciana actio introducta. l. 7. §. 6. ff. h. t. sicuti enim rei vindicatio jure civili in rem datur ex vero dominio, ita actio publiciana etiam in rem, sed jure prætorio ex ficto domino competit. Atque hanc actionem, velicta prolixiori vindicationis materia, pro disputatione nostra inaugurali tractandam proposuimus.

MISERICORDIA
DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

PUBLICANA IN REM ACTIONE.

THEISIS I.



Actio Publiciana nomen habet ab auctore suo Publicio Prætore. §. 4. in fin. Inst. de act. hic Publicius, teste Cicerone pro Cluentio, simul cum M. Junio Prætor fuit. Aliquando per Publicianam significatur actio rescisoria, de qua in. §. 5. Inst. eod. in agitur, uti patet ex l. 35. in fin. princ. ff. de obl. & act. l. 57. ff. mand. forte quod utraque actio eundem authorem habet. Sed tamen regulariter denotatur illa actio, qua res nondum usucpta per bonæ fidei possessorem recuperatur, quo in sensu etiam vocatur Publicianum judicium. l. 13. §. 1. ff. b. t. definiri potest hoc modo. *Actio publiciana est actio in rem, præatoria, qua datur ei, qui rem bona fide, & justo titulo, possessam, ante impletum usucaptionis tempus amisi, adversus injustum ejus rei possessorem, in rem restitutat.*

I. I.

Dicitur quod *in rem sit*, oritur enim ex facto dominio Prætoris, unde in. l. 7. §. 6. ff. b. t. dicitur ad instar proprietatis respicere, quod præatoria sit patet ex. d. §. 4. & ex l. 1. ff. b. t. ubi Ulpianus ipsum edictum Prætoris in hæc verba exhibet. *An Prætor, si quis id, quod traditur ex iusta causa, non a domino & nondum usucaptum petet, judicium dabo.* Causa quæ prætorem movit, fuit difficultas probandi dominii,

minii, quod non statim transit in eum, qui rem, licet ex justa causa sibi traditam, accepit, nisi is qui tradidit dominus fuerit; cuius probatio regulariter difficultima est: & tamen eo non probato, actor jure civili rei vindicationem frustra instituebat. Prætor igitur æquitate motus, cum videbat, quemvis injustum possessorem potiorem esse eo, qui rem bona fide & justo titulo nactus, possessionem casu amisisset, hanc actionem introduxit, qua colore dominii per usucaptionem acquisiti, vincerent illi, quibus iusta possessio semel quæsita esset, quam diu in eo nulli alii fereret injuria.

I I I.

Ex dictis patet quod actio publiciana detur sub colore dominii per usucaptionem acquisiti. *ait enim Imperator Justinianus § 4. Inst. de act. auctorem dicere se rem usucapito, quam revera non uscepit.* Unde quidam jus civile calumniantes, illud tanquam authorem mendacii arguunt. Perperam certe: nam actor rem a reo petens, non dicit se usucepisse, sed judici proponit, se tam diu rem possedisse bona fide, & justo titulo, & perinde sibi contra novum possessorem idem jus competere, quasi usucepisset. Hæc etiam Imperatoris sententia colligi potest. *ex §. 3. Inst. de act.*

I V.

Publiciana actio ut competit, quedam requisita concurrere debent. Primo & præcipue requiritur ut res fuerit tradita actori. *I. 1. l. 7. §. fin. ff. b. t. l. 10. ff. de usucap.* quia nemo ante rem traditam se dominum factum prætendere potest, cum traditionibus, non nudis conventionibus rerum dominia transferuntur. *l. 20. C. de pact.* an vera sit, an ficta traditio nihil interest, dummodo habilis sit ad transferendum dominium. *l. 9. §. 1. C. 2. l. 11. §. 1. ff. b. t.* qua occasione dubitari potest an traditio ad publicianam necessaria sit, iis casibus, quibus citra eam dominium ipso jure acquiritur. e. gr. si ecclesiæ aliquid donatum aut venditum sit. *l. 23. §. 1. C. de SS. ecol.* vel si res testatoris sit legata. *l. 64. ff. de furt.* quod putamus affirmandum.

A 3

1. Quia

6 DISPUTATIO JURIDICA

1. Quia illae res sine possessione non usucapiuntur. *l. 25. ff. de usucap.* & per consequens, cum in publiciana requisi-
ta usucaptionis desiderantur, absque illa non potest ha-
bere locum publiciana. *l. 7. §. ult. ff. b. t.* 2. Confirmatur, per *l. 8. ff. pro legato.* *l. 1. 2. & 5. ibid.* ex quibus col-
ligitur traditionem & possessionem ad usucapiendam rem le-
gatam requiri, 3. Textus §. 4. *Inst. de act.* expresse vult, ut
actor possessionem amiserit, ac amittere non potest, si
non aliquando habuerit. Et præterea expresse probant
verba prætoris in. *l. 1. ff. b. t.* *se quis id quod traditur &c.*
judicium dabo.

V.

Secundum requisitum publicianæ actionis est, ut acto-
ri res sit tradita bona fide. *l. 7. §. penult.* *& ult.* *hec tit.* bo-
na fides hic est, ut accipiens putaverit eum, a quo accepit,
dominum esse, aut jus transferendi dominii habere. *l. 109.*
ff. de V. S. jure civili sufficit hanc ab initio adesse. *l. un.* *C.*
de usucap. transf. quanquam in emtione tempore contra-
etius & traditionis requiratur. *l. 7. §. ult. ff. b. t.* quid si mala
fides superveniat, queritur, an tunc cessat publiciana?
Et dicimus quod non; propter legitimum initium usuca-
pionis. *l. 11. §. fin. eod. iii.* & quanquam jure canonico ma-
la fide interveniente usucatio cessat, nihilominus rationi-
bus defendi posse videtur publiciana: merito enim diffi-
cilius usucapitur quam publiciana agitur; cum usucapio
detur in præjudicium veri dominii, publiciana non: dein-
de publiciana semper datur actori firmius jus habenti.
Datur etiam heredi ejus, cui bona fide res est tradita,
cum heres semper usucaptionem continuet. *§. 12. inst. de*
usucap. neque denegatur ei, qui rem a furioso eum furere
ignorans, emit. *l. 7. §. 2. ff. b. t.* sed maxime videtur ob-
stare. *l. 2. §. 16. ff. pro emptore.* quidam antinomiam, qui-
dam correctionem admittunt, sed tamen locum potest ha-
bere contra extraneum, *d. 7. §. 2.* non vero contra ipsum
furiosum. *d. l. 2. §. 16.*

Tertium

INAUGURALIS.

7

in bonis omnibus in V. I.

Tertium requisitum publicianæ actionis, ut actor rem acceperit justo titulo. l. 1. 2. 3. & seqq. ff. b. t. in publiciana obtinet quod ei, qui rem tantum emit, & bona fide possidet, nondum pretio soluto, aut fide ea de re habita, hæc actio detur. l. 8. ff. b. t. secus in rei vindicatione. l. 15. C. de revind. quia nunquam datur contra dominum aut titulo possidentem.

V I I.

His requisitis concurrentibus, videndum ulterius, cui competit, adversus quem, & ad quid. Publiciana actio competit ei, qui ita, uti dictum, rem à non domino acceperat, & ante impletum usucaptionis tempus amiserat, §. 4. inst. de att. dicitur à non domino. ita quoque prætor in suo edicto dicit non à domino. nam si verus dominus ex justo titulo rem alteri tradiderit, accipiens statim fit dominus, nec ulla indiget usucapione. l. 20. princ. ff. de acq. rer. domin. §. 40. inst. de rer. divis. dicitur ante impletum usucaptionis tempus amisi. Nam si per legitimum tempus usucapio impleta sit, accipiens factus est dominus. Et ad rem recuperandam civilem habet actionem. l. 1. §. 1. ff. b. t. hinc illud quæritur, an hæc actio æque detur vero domino, ac bonæ fidei possessori; nimirum, si dominus, cum difficilis esset, ut fere solet, dominii probatio, hac actione uti mallet, quam rei vindicatione civili, licebitne id vero domino? putamus licere: quia acturus existimare debet se esse dominum, & quod author suus fuerit dominus. Præterea quod propter hujus rei incertitudinem & difficultatem probandi hæc actio sit introducta. Cum itaque saepissime contingere possit, ut auctor dominus fuerit, de qua ramen constare nequit, necessario eveniet, ut non raro hac actione utatur, qui revera dominus est, ac ex causa prædicta talem se asserere non audet. Deinde semper datur ei, qui potius jus habet, atqui dominus habet fortissimum jus. Disputant doctores an usus fori, actionum cumulationem probans, sit admittendus. Videlicet, an eodem

8 DISPUTATIO JURIDICA

dem libello publicianam cum rei vindicatione disjunctim proponi, & rem jure dominii vel quasi dominii peti posse, recte defendatur. Putamus recte defendi posse: cum hæc actiones magis affines aut diversæ sunt, quam contrariae. Is enim, cui publiciana competit, præsumptive dominus est. Neque verum est, quod remedia præatoria iis denegentur, quibus jure civili consultum est. Hac occasione, data publiciana bona fidei possessori de facto dominio, queritur, an non etiam porrigitur bona fidei possessori de utili factio dominio? ut puta ei, qui emphiteus in a non domino bona fide accepit, canonem solvit, & postea amisit? quod affirmamus: cum actor sit in conditione usucapiendi utili dominium, neque video quare hæc actio esset denganda.

V I I I.

Datur actio publiciana adversus injustum possessorem, vel qui infirmius jus habet quam actor. *I. ult. in fin. ff. b. t. junc. l. 7. §. 6. ff. eod.* Fortius jus habet actor si bona fide & justo titulo rem acceperit, reus vero non. *d. l. ult. etiam si reo bona fide & justo titulo possessio ab eodem authore data sit, qui rem prius actori tradidit. I. 9. §. 4. in prin. ff. b. t.* nam si reus authorem suum injustum possessorem vellit accusare, non posset petere, cum quisque semper petat colore acquisiti dominij. Si authorem suum profiteatur dominum, sequitur quod ille iterum non potest tradere rem, quam antea jam alteri juste tradidit. Sed queritur, si duo eandem rem, a duobus non dominis, bona fide & justo titulo acceperint, cuius jus sit fortius, actoris an possidentis? & dicitur possidentis, *I. 9. §. 4. in fin. ff. b. t.* ratio est, cum actor se fundet, non in vero dominio, quod nec probare necesse habet, sed tantum in conditione usucapiendi, efficitur inde, ut possessor, qui in eadem conditione est, exceptione actorem repellere possit, cum potior est juris, qui simul est in conditione usucapiendi & in possessione, quam qui tantum est in conditione usucapiendi. Maxime tamen videtur obstare. *I. 31. §. ult. ff. de alt. empt.* ubi dicitur

citur sive ab uno non domino , sive ab alio atque abo duo emerunt , quod posterior sit is , cui res prius est traduta . Quanquam quidam diffensionem inter Sabinianos & Proculianos ponunt , restamen sic expedienda videtur , videndum est an controversia vertatur inter illos ipsos duos , qui rem a non dominis acceperunt , quem casum Ulpianus . dicta l . 9 . § . 4 . tractat , quo scilicet alter ex illis possidet , an vero tertio possidente , inter duos illos controversy sit , cui potius publiciana contra tertium sit concedenda . Ad quem casum respexit . l . 31 . § . ult . de act . impt .

I X .

Ulterius queritur an haec actio detur contra eum , qui dicitur pro herede possidere ? quidam putant denegandam esse publicianam quia inquiunt pro herede est titulus . Sed non est titulus habilis . Alii putant pro herede tenere idem esse ac pro domino tenere . Sed etiam illi videntur errare : patet enim heredem non posse teneri , quatenus herum vel dominum denotat , & quatenus ea , quae revera defuncti fuerunt , ipse verus heres tenet . Sed cum pro herede dicimus possidere , aut non verum esse heredem , sed istud tantum praetendi , aut heredem quidem , sed non istius rei , de qua queritur , significamus . Atque ita pro herede tenere duplicitur sumitur . 1 . Ut ante dictum , quando quis se heredem asserit , cum tamen verum non sit , quo casu alia datur actio , scilicet hereditatis petitio , contra eum , qui possidet pro herede , & qui rem aliquam tenet , quae revera defuncti fuit . Non vero publiciana porrigitur , nisi forte publicianâ acturus , falsum eum heredem ostendere velit & possit . Deinde quoque pro herede verus heres dicitur , qui rem possidet , quae defuncti non fuit , sed quam ipse tamen tanquam hereditariam , & alienam ignorans , cum ceteris rebus defuncti penes se habet . Veluti si sit res defuncto commodata , vel apud eum deposita . Circa quem casum , cum maxima sit controversia , prius videamus an iste titulus habilis sit ad usucapiendum . Unde decisio questionis dependet , quia con-

tra usucapientem cum effectu publiciana non datur. Sed talem titulum non esse probant textus. *I. ult. C. de usucap. pro herede. I. 4. C. de presor. long. temp.* qui negant sine alio proprio & speciali titulo usucaptionem procedere posse. Præterea res commodatas ab herede non posse usucapi, colligitur ex. §. 4. *Inst. de usucap.* ubi dicit imperator, si heres rem *commodatam*, &c. bona fide vendiderit, tacite intuens, ab ipso herede eam usucapi non posse, sed quidem ab alio singulari successore: & hanc sententiam, ratio juvat, cum heres defunctum, qui ab usucapione excluditur, representet & per consequens idem jus habeat. Hæc actio cum datur contra infirmius jus habentem possessorem, examinandum est an ille, qui pro herede possidet, infirmius jus habet quam actor. Quod potest contingere in casu. *I. 9. §. 4. ff. b. t.* nempe si defunctus rem ab eodem non domino acceperit, qui eam, antea actori tradiderit.

X.

Cum ex superioribus liquet, hanc actionem in rem esse instar rei vindicationis, sequitur, quod etiam detur contra eum, qui liti se obtulit, quique dolo malo possidere desit. arg. *I. 7. §. 8. ff. b. t. I. 16. §. 3. ff. de pign.* neque mirum: facile enim actor potest fortius jus ostendere quam talis possessio.

XI.

Ex ante dictis constat, adversus verum dominum publicianam haud competere. *I. penalt. ff. b. t.* excipiuntur tamen aliquot casus. veluti. 1. Siquis a non domino ex tali causa, (veluti noxali, damni infecti) acceperit rem, ex qua a vero domino accipere debuerat. *I. 28. ff. de nox. ait. I. 18. §. 15. ff. de damn. infect.* 2. Si is qui tradidit postea dominus effectus sit. *I. 72. ff. de R. V.* 3. *I. 4. §. 32. ff. de dolo mal.* & met. excep. 3. ob auctoritatem rei judicatæ. *I. 24. ff. de excep. rei judic.* 4. Etiam ob jusjurandum. *I. 7. §. 7. ff. b. t. cx. I. 31. ff. ex quib. caus. major.*

Restat

A I N A U G U R A L I S.

X I I.

Restat ut excutiamus quænam res publicana actione peti possunt. Cum autem ab usucapione licet argumentari ad publicianam. l. 7. §. 2. ff. b. t. pro regula notanda quod in hac actione veniunt res ad usucapiendum habiles. l. 9. §. 5. ff. eod. unde dissentient doctores, an res a malæ fidei possessore traditæ, hac actione peti possunt? & videntur peti posse. Quanquam quidam earum rerum usucipationem & præscriptionem, quæ decem vel viginti annis absolvitur, negent, possessorem tamen tricenni tutum esse probat. auth. male fidei C. de præscr. long. temp. quod Nov. 119. C. 7. confirmatur. Videtur ergo, non sublata usucapione, sed tantum nuda temporis mutatione facta, publiciana admitti posse. Præsertim cum hic non tractetur de actione excludenda, sed de re acquirenda. Et non de præjudicio veri domini, sed tantum possessoris sine titulo. Possunt etiam peti servitutes & res incorporeas traditione constitutæ. l. 11. §. 1. ff. b. t. in his earum usus & servitutum constituentis patientia pro traditione est. l. ult. ff. de serv. hoc speciale est quod in vestigalibus & aliis prædiis, in quibus usucatio non habet locum, hæc actio detur. l. 12. §. 2. ff. b. t. in rebus furtivis sicut non procedit usucatio, sic etiam non procedit publiciana. l. 9. §. 5. ff. b. t.



A M A L A C O

COROLLARIA.

I.

*De controversiis ex testamento ortis non
recte transigitur, nisi inspectis testamenti
tabulis.*

II.

*Qui credidit ad refectionem navis non ha-
bet tacitam hypothecam.*

III.

*In transactione non habet locum. l. 2. C.
de resc. vend.*

IV.

*Depositarius propter impensas necessarias
rem depositam retinere potest.*

F I N I S.